


Magnum est honestē morī, prūdentē, fortiter...an histriōnis īnstār?

Georgius A. Čepelák (www.vivariumnovum.net, http://circulus.xf.cz/www/)



XIX Schola aestīva studiīs Graecīs et Latīnīs dīcāta, Pragae a. MMXI.

Venī et tū! Quod sī Latīnē nōn(dum) loquāris, nūlla erit difficultās.



L. Annaeus Seneca

Quid L. Annaeus Seneca de morte sponte appetendā sēserit... (Sen. ep. 9, 77, 5-9)

Tullius Marcellinus, quem optimē nōverās, adulēscēns quiētus et citō senex, morbō et nōn insānābilī correptus sed longō et molestō et multa imperante, coepit dēliberāre dē morte. Convocāvit complūrēs amīcōs. [...] Amīcus noster Stoicus, homō ēgregius et, ut verbīs illum quibus laudārī

dignus est laudem, vir fortis ac strēnuus, vidētur mihi optimē illum cohortātus. Sīc enim coepit: *Nōlī, mī Marcellīne, torquērī tamquam dē rē magnā dēliberēs. Nōn est rēs magna vīvere: omnēs servī tuī vīvunt, omnia animālia: magnum est honestē morī, prudēter, fortiter. Cōgitā quamdiū iam idem faciās: cibus, somnus, libīdō - per hunc circulum curritur; morī velle nōn tantum prudēns aut fortis aut miser, etiam fastīdiōsus potest.* Nōn opus erat suāsōre illī sed adiūtōre: servī pārēre nōlēbant. Prīmum detrāxit illīs metum et indicāvit tunc familiam perīculum adīre cum incertum esset an mors dominī voluntāria fuisset; aliōquī tam malī exemplī esse occīdere dominum quam prohibēre. Deinde ipsum Marcellīnum admonuit nōn esse inhūmānum, quemadmodum cēnā perāctā reliquiae circumstantibus dīvidantur, sīc perāctā vītā aliquid porrigī iīs quī tōtīus vītāe ministrī fuissent. Erat Marcellīnus facilis animī et liberālis etiam cum dē suō fieret; minūtās itaque summulās distribuit flentibus servīs et illōs ultrō cōnsōlātus est. Nōn fuit illī opus ferrō, nōn sanguine: triduō abstinuit et in ipsō cubiculō pōnī tabernāculum iussit. Solium deinde inlātum est, in quō diū iacuit et cal(i)dā subinde suffūsā paulātīm dēfēcit, ut aiēbat, nōn sine quādā voluptāte, quam adferre solet lenis dissolūtiō nōn inexperta nōbīs, quōs aliquandō liquit animus.

... et quōmodo eam coāctus ipse fīnīverit (Tac. ann. 15, 61-63)

[Tribūnus] interrogat an Seneca voluntāriam mortem parāret. Tum tribūnus nūlla pavōris signa, nihil trīste in verbīs eius aut vultū dēprēnsū cōfirmāvit. Ergō regredī et indicere mortem iubētur. Trādit Fābius Rūsticus nōn eō quō vēnerat itinere redisse tribūnum, sed flexisse ad Faenium praefectum et expositīs Caesaris iussīs an obtemperāret interrogāvisse, monitumque ab eō ut exsequerētur, fātālī omnium ignāviā. Nam et Silvānus inter coniūrātōs erat augēbatque scelera, in quōrum ultiōnem cōnsēserat. Vōcī tamen et adspectū pepercit intrōmīsique ad Senecam ūnum ex centuriōnibus, quī necessitātem ultimam dēnūntiāret.

Ille interritus poscit testāmentī tabulās; ac, dēnegante centuriōne, conversus ad amīcōs, quandō meritīs eōrum referre grātiā prohibērētur, quod ūnum iam et tamen pulcherrimum habeat, imāginem vītāe suae relinquere testātur, cuius sī memorēs essent, bonārum artium fāmam tam cōstantis amīcitiāe pretium lātūrōs. Simul lacrimās eōrum modo sermōne, modo intentiōrem in modum coercentis ad firmitūdinem revocat, rogītāns ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annōs meditāta ratiō adversum imminentia? cui enim ignāram fuisse saevitiā Nerōnis? neque aliud superesse post mātrem frātremque interfectōs, quam ut ēdūcātōris praeceptōrisque necem adiceret.

Ubi haec atque tālia velut in commūne disseruit, complectitur uxōrem, et paululum adversus praesentem fortitudīnem mollītus rogat oratque temperāret dōlōrī neu aeternum susciperet, sed in contemplatiōne vītāe per virtūtem āctae dēsīderium marītī sōlaciīs honestīs tolerāret. Illa contrā sibi quoque dēsīnātā mortem adsēverat manumque percussōris exposcit. Tum Seneca glōriāe eius nōn adversus, simul amōre, nē sibi ūnicē dīlēcātam ad iniuriās relinqueret, *“Vītāe”* inquit, *“dēlētīmenta mōnstrāveram tibi, tū*

mortis decus māvīs: nōn invidēbō exemplō. Sit huius tam fortis exitūs cōstantia penes utrōsque pār, clāritūdinis plūs in tuō fine". Post quae eōdem ictū braccia ferrō exsolvunt. Seneca, quoniam senīle corpus et parcō vīctū tenuātum lenta effugia sanguinī praebēbat, crūrum quoque et poplitem vēnās abrumpit; saevīsque cruciātibus dēfessus, nē dolore suō animum uxōris infringeret atque ipse vīsēdō eius tormenta ad impatientiam dēlāberētur, suādet in aliud cubiculum abscēdere. Et novissimō quōque mōmentō, suppeditante ēloquentiā, advocātīs scrīptōribus plēraque trādidiit, quae in vulgus ēdita eius verbīs invertere supersedeō.



P. P. Rubens: Senecae mors
(1615)

At Nerō nullō in Paulīnam propriō odiō, ac nē glisceret invidiā crudelitās, iubet inhibērī mortem. Hortantibus militibus servī libertīque obligant braccia, premunt sanguinem, incertum an ignārae. Nam, ut est vulgus ad dēteriōra prōmptum, nōn dēfuēre quī crēderent, dōnec implācābilem Nerōnem timuerit, fāmam sociātae cum marītō mortis petīvisse, deinde oblātā mītiōre spē blandīmentīs vītāe ēvictam; cui addidit paucōs postea annōs, laudābilī in marītum memoria et ore ac membrīs in eum pallōrem albetibus, ut ostentuī esset multum vītālis spīritūs egestum.

Seneca interim, dūrante trāctū et lentitūdine mortis, Statium Annaeum, diū sibi amicitiae fide et arte medicīnae probātum, orat prōvīsum prīdem venēnum, quō damnātī pūblicō Atheniēnsium iūdiciō exstinguerentur, prōmeret; adlātumque hausit frūstrā, frīgīdus iam artūs et clūsō corpore adversum vim venēnī. Postrēmō stagnum calidae aquae introiit, respergēns proximōs servōrum

additā vōce libāre se liquōrem illum Iovī liberātōrī. Exim balneō inlātus et vapōre eius exanimātus, sine ūllō fūneris sollemnī cremātur. Ita codicillīs praescīpserat, cum etiam tum praedīves et praepotēns suprēmīs suīs cōnsuleret.

Dē Petrōniō ad mortem sibi cōnscīscendam compulsō (Tac. ann. 16, 19)

Forte illīs diēbus Campāniam petīverat Caesar, et Cūmās ūsque prōgressus Petrōnius illīc attinēbātur; nec tulit ultrā timōris aut speī morās. neque tamen praeceps vītā expulit, sed incīsās vēnās, ut libitum, obligatās aperīre rūrsum et adloquī amīcōs, nōn per sēria aut quibus glōriam cōstantiae peteret. Audiēbatque referentis nihil dē immortalitāte animae et sapientium placitīs, sed levīa carmina et facilīs versūs. Servōrum aliōs largitīōne, quōsdam verberibus adfēcit. Iniit ēpulās, somnō indulsit, ut quamquam coācta mors fortuītāe similis esset. Nē codicillīs quidem, quod plerīque pereuntium, Nerōnem aut Tigellīnum aut quem alium potentium adūlātus est, sed flāgitia prīncipis sub nōminibus exolētōrum fēminārumque et novitātem cuiusque stuprī perscrīpsit atque obsignāta mīsīt Nerōnī. Frēgitque ānulum nē mox ūsuī esset ad faciēnda perīcula.



K. E. Makowski: Mors Petrōniī (1904)

Dē morte (nōn solum) Annaeī Lūcānī (Tac. ann. 15, 58 et70)



Annaeus Lūcānus

Nōn enim omittēbant Lūcānus quoque et Seneciō et Quīntiānus passim cōnsciōs edere, magis magisque pavidō Nerōne, quamquam multiplicātis excubiīs sēmet saepsisset...

Exim Annaeī Lūcānī caedem imperat is prōfluente sanguine ubi frīgēscere pedēs manūque et paulātim ab extrēmīs cēdere spīritum fervidō adhūc et compote mentis pectore intellegit, recordātus carmen ā sē compositum, quō vulnerātum mīlitem per eius modī mortis imāginem obīsse trādiderat, versūs ipsōs rettulit, eaque illī suprēma vōx fuit. Seneciō posthāc et Quīntiānus et Scaevīnus nōn ex priōre vītāe mīlitiā, mox reliquī coniūrātōrum periēre, nūllō factō dictōve memorandō.

Dē morte Thraseae Paetī (Tac. ann. 16, 35)



F. A. Bronnikov: Thraseae datur mortis arbitrium (1873)

Tum prōgressus in porticum illīc ā quaestōre reperītur, laetitiae propior, quia Helvidium generum suum Italiā tantum arcērī cōgnōverat. Acceptō dēhinc senātūs cōsultō Helvidium et Dēmetrium in cubiculum indūcit; porrectisque utrūque brachiū vēnīs, postquam cruōrem effūdit, humum super spargēns, propius vocātō quaestōre *Libāmus* inquit *Iovī liberātōrī spectā, invenīs; et ōmen quidem diī prohibeant, cēterum in ea tempora nātus es quibus firmāre animum expediat cōstantibus exemplīs*. Post lentitūdine exitūs gravīs cruciātūs adferente, obversīs in Dēmetrium...

Quid sēserint

....Mārtiālis (Mart. epigr. 1, 6, 8),

Quod magnī Thraseae consummātique Catōnis dogmata sic sequeris, salvōs ut esse velīs, Pectore nec nūdō strictōs incurris in ēnsīs, quod fēcisse velim tē, Deciāne, facis. Nōlō virum facilī redimit quī sanguine fāmam, hunc volo, laudārī quī sine morte potest.



M. V. Mārtiālis

...Tacitus (Tac. Agr. 42),



Cornēlius Tacitus

Sciant, quibus mōris est inlicita mīrārī, posse etiam sub malīs prīncipibus magnōs virōs esse, obsequiumque ac modestiam, sī industria ac vigor adsint, eō laudis excēdere, quō plērīque per abrupta, sed in nūllum reī pūblicae ūsum ambiōsā morte inclāruērunt.

...Seneca (Sen. ep. 113, 32)? Quī virtūtem suam pūblicārī vult, nōn virtūtī labōrat sed glōriāe.